

EPISTULA LEONINA

CLI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXLVIII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM PRIMAM (151) !

ARGUMENTA

1. VERITAS TEMPORIS FILIA.....	03
2. EX ORIENTE LUX (I).....	04 - 20
2.1 Victorem Orban laudari a Sebastiano Kurz.....	04 – 06
2.2 Kurzius a ministro Italo vituperatur.....	07 – 10
2.3 INDIVISIBILITER ET INSEPARABILITER.....	11
2.4 Orbanus dixit se a Merkelia dissentire.....	12 – 14
2.5 Oratio Victoris Orban.....	15 – 19
2.6 Ecce Grex Visegradianus.....	20

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quinquagesimam primam. - Bene scio de re, quam hac in Epistulâ variis relationibus Latinê redditis tracto, alios aliter sentire; et timeo, ne plurimi lectores a Victore Orban praeside Hungariae ministeriali vehementer abhorrentes pus et venenum in me spuunt, quod putant verba hominis tam atrocis non digna esse versione Latinâ. Nam non pauci sunt, qui credant hunc virum Hungarum esse dictatorem et tyrannum crudelem. Tamen ipsis civibus Hungariae plurimis videtur Orbanus placere; necnon Sebastianus Kurz cancellarius Austriae nuper factus sibi non temperat, quin laudet tutelam limitum Europae ab Orban effectam. Itaque audeo talis quoque viri verba in Latinum conversa publicare lectoribus in memoriam revocans tritum illud proverbium Romanorum, quod est: **AUDIATUR ET ALTERA PARS!** - Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 151 tolle et lege et laetare et ... fideliter pergas legere Epistulas meas!*

Medullitus Te salutat
Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS



**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 28. m.Ian. a.2018**



VERITAS TEMPORIS FILIA

Veritas est filia temporis; Cronos senex alatus et excepto panno lumbari nudus revelat Veritatem, quae iuvenca etiam est nuda; infra iacet Invidia, quae est mulier capillis serpentiformibus et arrodet cor proprium. Chalcographema a.1612 a Jan Collaert Flamo confectum, quod invenitur in Museo Britannico. Subscripta sunt verba haec: *Quae dudum latuit tenebris immersa profundis,/ Puteoque sese altissimo occultaverat,/Quamvis Invidia obnitente in luminis auras/ Prognata tempore nuda prodit VERITAS.*

EX ORIENTE LUX (I)

**EUROPAEI ORIENTALES AMORE PATRIAE
IMBUTI FACULAM VERITATIS FERUNT AD
DISCUTIENDAS TENEBRAS GLOBALISMI
HYPOCRITICI PERNICIOSISSIMAS**



Ecce *Victor Orbán* Hungariae praeses ministerialis et *Sebastianus Kurz* Austriae minister quondam rerum externarum, nuper factus cancellarius.

"Calamum ducentes"

<http://www.krone.at/568023>

06.05.2017 18:22

***Victorem Orbán* laudari a *Sebastiano Kurz*
propter limitis Schengeniani tutelam**

Sebastianus Kurz minister externorum (ÖVP = pars Austriae popularis) *Victori Orbán* praesidi Hungariae ministeriali honorem attribuit propter eius studia limitis Schengeniani tutandi. *Sebastianus* autem a diurnario ephemeridis interrogatus, c.t. "*Süddeutsche*

Zeitung", postulavit haec: »*Desinamus dividere in bonos et malos nobisque arrogare superioritatem moralem*«. Idem dixit Hungariam aliasque nationes Europae orientales in limitibus Unionis Europaeae tutandis *calamum ducere*. Kurzius interrogatus, num pars Orbani politica, c.t. *Fidesz*, e fractione partium Europae popularium esset excludenda, sic respondit: »*Praepositi partis Europae popularis iam statuerunt, ut Fidesz immaneret Parti politicae Europae popularis. Nos enim vivimus in Europâ multiplicitatis nec sumus fortes nisi fovemus concordiam*«. Porro Sebastianus Kurz (quondam) minister rerum externarum (nunc cancellarius) Austriae dixit se nolle *multos Europaeos orientales sibi ipsos videri Europaeos classis secundae*.

Kurz repetivit se *ex initio recusavisse rationem limitum apertorum politicam*. Se sibi proposuisse, ut *affluentiam hominum contra legem in Austriam migrantium sisteret*. Sebastianus affirmavit Conventum Dublinensem (i.e. Eblanensem) esse servandum necnon servandam esse Conventionem Profugorum Genavensem: »*Nemo qui in Austriâ petit asylum, persecutionem patitur in aliquâ terrâ nobis propinquâ. Etiam si qui petitores in patriis suis persecutionem passi propter studia oeconomica per terras nobis propinquas permigrant, non licet nos hoc tolerare*«.

Numerum advenarum novorum adhuc esse nimis magnum

Deinde *Kurz* dixit numerum hominum in Austriâ integrandorum esse *magnitudinis extremae*. »*Nam homines, qui a.2015 et 2016 ad nos venerunt, adhuc adsunt. Praeterea numerus advenarum novorum adhuc est nimis magnus*«. Idem minister rerum externarum commendavit, ne falsa imago depingeretur statûs rerum: »*Scilicet dicatur: Post quinque annos migratorum occupata erit aut tertia pars aut dimidia. At licet etiam eandem rem exprimere vice versâ: Post quinque annos migratorum dimidia pars adhuc erit disoccupata et multi eorum curabuntur a vectigalium pensoribus per vitam suam totam*«.

Sibi ministro integrationis officium esse efficere condiciones marginales quam optimas. »*Oportet clarê dicam eum, cui licet hîc vivere, esse integrandum. Non est mihi mandatum, ut homines mendacio fallerem*«. Kurz diurnario ipsius "SZ" dixit, si qui homines

ex aliis orbibus culturalibus immigrarent, absolutê necessarium esse, ut iisdem diceretur, quid in Austriâ facere liceret et quid non.



Sebastianus Kurz

Se recusare unionem Europae socialem

Kurzius denuo reprobavit ideam unionis Europae socialis condendae. Sibi hanc rem propositam videri *omnino falsam*: »*Quidnam istud valeret? Num hac ideâ ad verum adductâ pecunias sociales nostras deminuamus ad statum dacoromanicum? Num bonum sit, si in Dacoromaniâ alterum tantum securationis minimae acciperetur, quantum acciperetur salarium medium? Quisnam tantum pecuniae solvat? Verumne socialistae eo volunt efficere, ut hominum animi pro Europâ inflammentur vehementius, quod utuntur pecuniis vectigalium ad firmanda systemata socialia nationum aliarum?*«

<https://www.msn.com/de-at/nachrichten/other/kritik-aus-italien-kurz-als-held-der-nationalistischen-rechten/ar-AAoB6MG>

Kurzius a ministro Italo vituperatur esse »heros partis dextrae nationalisticae«



Ecce Benedictus Della Vedova Italiae vice-minister rerum externarum

Benedictus Della Vedova Italiae vice-minister rerum externarum de Sebastiano Kurz et Victore Orbán dicit haec: "Isti si migratores volunt mari inicere, quidni apertê hoc dicunt?"

22.07.2017, 15:56

Nondum licet exspectare politicos Italos et Austriacos inter se collocuturos esse moderatius. Nam *Benedictus Della Vedova* Italiae vice-minister rerum externarum *Sebastianum Kurz* Austriae ministrum rerum externarum (ÖVP, i.e. Pars Politica Austriae Popularis) et *Victorem Orbán* Hungariae praesidem ministerialem appellavit *novos heroes partis Italiae dextrae nationalisticae*. Benedictus in paginâ suâ Prosopobibliai (i.e. *Facebook*) declaravit haec: »Isti si migratores volunt mari inicere, quidni apertê hoc dicunt?«



Ecce *Sebastianus Kurz* Austriae minister quondam rerum externarum, nuper cancellarius factus et *Victor Orbán* Hungariae praeses ministerialis.

Benedictus Italus: »*Orbán et Kurz*« inquit »*parum sciunt de mari portibusque, sed publicè docent, quis servandus sit et quis non sit, quasi ius internationale et conventiones profugos servandi sint res, in quibus liceat eligere, quid faciendum sit*«.

Absurditatem populisticam crudelemque

»*Kurz*ius proposuit profugos esse in insulam Lampedusam afferendos ibidemque relinquendos. Istaec est ingens absurditas politica necnon populistica crudelisque«. Vice-minister rerum externarum scripsit haec: »*Kurz*ius ingreditur Orbani viam auctoritariam. Qui comprobatur Europam se occludentem, Europam patriae reactionariam, reprobaturque Europam integrationis.«

Ligam septentrionalem (*Lega Nord*) postulare, ut Italia claudat portûs suos.

Aliter sentit *Robertus Maroni*, praeses regionis Lombardianae et Ligae Septentrionalis politicus coryphaeus, qui gubernationem Italiae urget, ut portûs claudat. »*Austria et Francogallia claudunt limites suos. Non sufficit Italiam in Europâ rogare, ut aliae nationes sint solidariae, Italiae agendum est. At gubernatio non vult intellegere statum valere necessitatis*«.

Orbanum verbis invehi in *Electos Bruxellenses necnon in Georgium Soros*

Interim *Victor Orban* praeses Hungariae ministerialis denuo verbis invectus est in Unionem Europaeam et *Georgium Soros* miliardarium americanum, simulque solidaritatem declaravit cum Poloniâ praestandam. Orbanus die Saturni in urbe Dacoromanâ, quae est nomine *Baile Tusnad* (hungaricê: *Tusnadfürdő*): »*In electionibus futuris*« inquit »*nobis non necesse erit pugnare contra alias partes patriae politicas, sed contra vires externas, quae sunt Electi Bruxellenses et Georgius Soros*«.

In Hungariae rebus politicis externis *unum tantum lapillum operis tessellati esse, qui non esset loco apto - istum esse statum rationum, quae intercederent cum Bruxellensibus*. Nam gubernatio Orbaniana cum commissione Unionis Europaeae rixatur de principiis civitatis iuridicis deque profugis recipiendis.

Orbanus, politicus conservativae partis dextrae, cuius oratio televisione transmissa est, rem anno proximo praeterito factam omnium praestantissimam dixit esse coalescentiam quattuor civitatum *Visegrad*, i.e. Poloniae et Tsechiae et Slovaciae et Hungariae. De *Martino Schulz* democratâ Germano sociali candidatoque cancellariatûs dixit haec: »*Sodalem Schulzium certiore facio de hac re: Nos solidaritatem praestamus Poloniae*«. Poloni et Tsechi et Slovaci et Hungari omnes de quaestione profugorum sententiam duram profitentes unâ recusant systema quotorum profugos distribuendi.


Timmermannsium esse inquisitorem magnum

Nocte ante diem Saturni senatus Poloniae statuit legem ferendam esse dubiam, qua gubernatio valere potest ad iudicium supremum. Itaque Poloniae imminent sanctiones Unionis Europaeae. Quas Orbanus appellavit partes *Inquisitionis Unionis Europaeae, Franciscum Timmermans* vicepraesidem commissionis Unionis Europaeae *Inquisitorem magnum*.

De communitate islamicâ societati iniungendâ Orbanus sensit haec: *»Duo cultûs civiles non possunt simul exstare in eodem loco«*. Non oportere, ut solidaritas praestaretur erga cultûs civiles, qui in dubium vocarent bona europaea, qualis esset aequalitas mulierum virorumque iuridica. *»Ignoramus (talis cultûs civilis) integrationem, quae bene successerit. Integratio non est apta responsio.«*

In Hungariâ proximae electiones parlamenti fient tempore anni 2018 vernali. Hôc mense ineunte etiam extra Hungariam percrebruerat *manifestatio anti-sorosiana* per totam terram facta.

(APA / tem) d.22. m.Iul. a.2017, h.14:28 KURIER ephemeris austriaca



INDIVISIBILITER AC INSEPARABILITER

ECCE CORONAE SCUTAQUE HERALDICA AUSTRIAE ATQUE HUNGARIAE

<http://www.sueddeutsche.de/politik/visegrad-fluechtlingspolitik-orbn-geht-auf-konfrontation-zu-merkel-1.3136948>

d.26. m.Aug. a.2016, h.11:45

Ratio profugorum politica Visegradiana - Orbanus dicit se a Merkeliâ dissentire



- Cancellaria hodie Varsoviae conveniet repraesentatores gregis Visegradiani - adversarios suae rationis politicae profugorum in Unione Europaeâ durissimos.
- Gubernatores civitatum Poloniae, Tsechiae, Hungariae, Slovaciae recusant Merkelianam rationem profugos salutandi politicam (*Willkommenspolitik*).
- *Victor Orbán* iam in antecessum sententiam suam exprimens postulat, ut *Merkelia* a cursu suo desistat.
- Praeses Hungariae ministerialis praeterea annuntiavit se in limite Serbiensi alterum saepimentum esse exstructurum.

Hic conventus *Angela Merkel* potius erit iniucundus. Cancellaria enim foederalis hodie visitabit Varsovienses. *Witoldus* enim *Waszczykowski*, Polonus minister rerum externarum iam in antecessum asperê dixit haec: Germaniam nimis saepe sua tantum commoda fovere - cum aliis tum in rebus profugorum politicis

agendis. *»Non omnes nationes Europaeenses praestare possunt talem rationem politicam, qualem Germania proponit agendam.«* Nunc autem *Victor Orbán* quoque praeses Hungariae ministerialis, qui etiam venturus est in caput Poloniae, declarat se a cancellariâ dissentire.

Orbanus in emissione Hungaricae stationis radiotelevisificae dixit hunc conventum eo fine esse constitutum, ut Unionis Europaeae ratio profugos recipiendi et secundum quota distribuendi fieret irrita. *»Quarendum est, utrum Angela Merkel nobiscum decretum Bruxellense mendosum revidere parata sit necne.«* Praeterea praeses Hungariae ministerialis annuntiavit se in limite Serbiensi exstructurum esse saepimentum alterum, verum vallum ad profugos arcendos. Nam contractus cum Turciâ faciendus si in irritum cecidisset, fieri posse, ut aliquot centum milia profugorum affluerent ad limitem Hungaricum. *»Hôc in casu si illos verbis benevolis impedire non potuerimus, necesse erit impedire violenter.«*

Recusari rationem profugos salutandi Merkelianam

Merkelia Varsoviae conventura est praesides ministeriales gregis qui dicitur Visegradianus, i.e. praeter Orbanum Poloniaeque praesidentissam *Beatam Szydło* etiam Slovaciae primarium ministrum *Robertum Fico* et Tsechianae gubernationis praepositum *Bohuslavum Sobotka*. Foedus ante viginti quinque annos pactum est in urbe Hungaricâ, quae appellatur *Visegrád*. Illo tempore Tsechoslovacia et Polonia et Hungaria invicem voluerunt se adiuvare viam in Unionem Europaeam ingressae. Qui grex per longum tempus parum notus fuerat, sed valdê innotuit crisi profugorum exortâ. Licet civitates Visegradianae non omnes eodem rigore cursum teneant suum, in unâ re inter se consentiunt: Omnes Visegradianae recusant rationem profugos salutandi Merkelianam.

Eaedaem recusant quota obligatoria profugos in Europâ distribuendi. Nam Visegradianis persuasum est adhibitâ continuâ regulatione quotariâ - qualis proponitur a Bruxellensibus - futurum fuisse, ut etiam exaugeretur migratio, difficultates practicae orerentur, unioque dissociaretur. Idem grex quaternarius sentit prius curandam esse limitum tutelam. Iovis demum die Tsechia iterum recusaverat, ne profugi obligatoriê distribuerentur in civitates Unionis Europaeae.

Etiam in Britanniae exitu ex Unione faciendo Poloni, Tsechi, Slovaci, Hungari postulant, ut sua commoda respiciantur, ne cives Unionis Europaei minoris fiant quam Britanni. Conventus Varsaviensis habetur pro praeparatione summitatis Unionis Europaei, quae mense Septembri sine Britannis fiet Bratislavâ in urbe. Merkelia hac septimanâ iam fuit in Italiâ et Estoniâ et Tsechiâ.

ORATIO A VICTORE ORBAN D.15 M. MART. A.2016 ANTE MUSEUM HUNGARIAE NATIONALE HABITA



***Victor Orban* libero ore eloquitur veritates Unionis Europaeae prohibitas - quae spectant ad crisisin profugorum.**

Ex hungarico sermone in theodiscum convertit Wolfgang Wolf, e theodisco in Latinum convertit Leo Latinus.

»Sors Hungarorum cum nationum Europae sorte coniuncta est, quarum omnis tam artê Unioni iniuncta est, ut hodie nulla gens europaea - Hungarâ inclusâ - libera esse possit, nisi libera est Europa. At hodie Europa tam fragilis est, tam imbecilla aegrotaque quam flos, qui exeditur a vermiculo abdito. - Hodie, centum duodeseptuaginta annis post magna bella independentiae gentium europaeorum, non iam valet libertas in domo nostrâ communi Europae!

Dominae Dominique, Europa non est libera. Nam libertas incipit a veritate eloquendâ. Hodie in Europâ vetitum est eloqui veritatem. Oppillago¹ etiamsi confecta est telâ sericeâ, tamen manet oppillago.

¹ **oppillagō, -inis f.** GLOSS. cfr Georges, Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch, 14.Aufl., s.v.: „der Mundknebel“. angl. gag; fr. bâillon; hisp. mordaza; ital bavaglio; ngr.φίμωτρον. In versione theodisca legitur *Maulkorb*, quod est instrumentum, quo canes a mordendo prohibentur; quod Latinê dicitur **fiscella**, -ae f. CATO agr.54,1; PLIN.nat.18,177.

Vetitum est dicere illos advenientes non esse profugos, migrationemque Europaeis esse periculosam. Vetitum est dicere decem miliones hominum esse paratos ad iter in nos faciendum. Vetitum est dicere immigratione scelera et tromocratiam afferri in civitates nostras. Vetitum est indicare hominum massis ex aliis cultibus civilibus profectis in periculum adduci nostrum modum vivendi, nostrum cultum civilem, nostros mores et consuetudines christianas nobis traditas. Vetitum est demonstrare illos, qui iam prius Europam advenerunt, iam construxisse novum mundum sibi ipsi proprium et separatum, cui insunt eorum lēges bonaque moralia propria, quibus structura Europae aliquot milia annorum nata est collapsura. Vetitum est indicare hanc rem non esse seriem effectuum fortuitam et involuntariam, sed consilium iam praedispositum subtiliterque praeparatum, quo massae hominum ad nos sunt directae. Vetitum est dicere Bruxellenses consilia concipere, quibus extranei quam celerrimē huc mittantur, ut colonias deducant medios inter nos. Vetitum est demonstrare hos homines eo fine huc deduci, ut regio Europae religiosa atque cultualis transformetur eiusque fundamenta ethnica mutantur, ut tollantur internationalismi impedimenta ultima, i.e. civitates nationales. Vetitum est dicere Bruxellenses etiam etiamque plura frustra devorare nostrae superanitatis nationalis multosque nunc Bruxellenses consilium machinari, quo condant Civitates Europae Unitas - quales ut condantur nemo umquam permisit. Dominae Dominique, hodierni hostes libertatis alius generis sunt ac illi domini regales et caesarei temporis transacti, aut ac illi, qui rexerunt systema sovieticum: isti aliis modis methodisque utuntur, quibus cogant nos, ut nosmet ipsos subiciamus. Hodie nos non iam in custodiam coniciunt, non iam nos transportant in ergasterium concentrationis, nec mittunt currūs cataphractos, ut terras occupent libertati fideles. Hodie sufficiunt grandines telorum, quas in nos iaculantur diurnarii internationales nobis minantes atque extorquentes - aut ut potius dicam - quae suffecerunt usque nunc. Homines Europae paulatim expergiscuntur. Qui acie denuo instructâ mox progredientur. Compages trabum Unionis Europaeae, quae positae sunt veritate suppressâ, crepitant collapsurae. Fortasse gentes Europae tandem intellexerunt salutem suam futuram in aleam esse datam: Nunc non solum in periculum subducta sunt opulentia et vita commoda et occupationes, sed etiam propria securitas nostra et ordo vivendi

pacificus. Tandem gentes Europae, qui vixerant abundantia et commoditate somniculosi, intellexerunt principia vivendi, quibus Europa aedificata est, adducta esse in periculum mortiferum. Europa est enim communitas nationum christianarum, liberarum, independentium, aequalitatis iuridicae virorum mulierumque, competitionis iustae solidaritatisque superbiae atque humilitatis, iustitiae atque misericordiae. Hôc tempore impetus non fit ratione bellorum aut calamitatum naturalium, quarum effectum homines subito non habent, ubi vivant. Immigratio massalis similis est lento flumini, quo litora pertinaciter alluantur. Quae quadamtenus personata fit sub praetextu caritatis erga homines egenos praestandae, sed reverâ est occupatio regionum. Id autem quod illis advenis est terra parta, nobis est territorium amissum. At defensores iurum humanorum malo spiritu obsessi catervatim in nos invehuntur inexsuperabili cupiditate affecti nos vituperandi et accusandi. Qui contendunt nos esse hostiles et xenophobos. At verum est historiam nostrae nationis esse etiam historiam homines alienos consociandi. Necnon historiam cultûs civiles inter se connectendi. Iis quidem, qui studuerunt huc venire nova membra familiae, hominibus consociatis aut fugatis de vitâ suâ timentibus, permittebatur, ut in terram nostram venirent novam sibi sedem comparaturi. At iis, qui eo fine huc venerant, ut nationem nostram secundum imaginem suam propriam transformarent, iis quidem, qui violenter nobisque invitis huc venerant -, semper a nostris resistebatur. Dominae Dominique, primo illi non loquuntur nisi de aliquot centum, de mille aut duobus milibus hominum sedem mutantium. At ne unus quidem dux Europaeus responsalis audebit iure iurando affirmare numquam fore, ut haec milia hominum augeantur aliquot decem centumve milibus. Si istanc immigrationem massalem volumus impedire, primo necesse est ut refrenemus Bruxellenses. Maximum periculum Europae non imminet ab illis, qui huc volunt venire, sed a Bruxellensium internationalismo fanatico. Nos oportet ne permittamus, ut Bruxellenses ipsi lêges transgrediantur. Nos oportet ne permittamus Bruxellensibus nos cogere, ut comedamus cosmopoliticae rationis suae immigratoriae fructûs amaros. Nos in Hungariam nulla importabimus scelera, nullam tromocratiam, nullam homophobiam, nullumque synagogos accendentem antisemitismum. Hîc nullae erunt tribus urbium, quae erunt extra vim legum, nullus erit tumultus massalis. Hîc non fiet seditio migratorum nullaeque erunt

catervae eorum, qui venentur uxores nostras filiasque. Nos non permittemus aliis, ut nobis praescribant, quem sinamus nostram domum terramque intrare, et iuxta quem nos vivamus et quocum terram nostram communicemus. Iam enim scimus, quomodo tales res eveniant. Primo illis permittimus, ut nobis praescribant, quem sinamus intrare, deinde nos cogunt, ut alienis ministremus in terrâ nostrâ propriâ. Denique nobis ipsis dicitur vasa esse colligenda terramque propriam esse relinquendam. Itaque nos recusamus consilia sedes mutandi coacticia et repellamus minas atque concussionem. Vênit tempus campanas pulsandi monitorias. Vênit tempus opponendi et resistendi sociosque congregandi. Vênit tempus vexilla nationum superbarum tollendi. Vênit tempus impediendi, ne Europa destruat et ut eius salus futura servetur. Ut hunc finem assequamur, sine respectu partis politicae, cui favet quicumque, omnem civem Hungariae omnemque nationem europaeam adhortamur, ut nobiscum congregentur. Ne duces civesque Europae pergant vivere in mundis uno ab altero seiunctis. Debemus redintegrare Europae libertatem. Nos gentes Europae non possumus liberae esse singulae, nisi unâ sumus liberae. Si vires nostras couniverimus, res nobis succedet feliciter; in diversas directiones si profecti erimus, evademus inferiores. Concordiâ erimus fortes, debiles erimus discordiâ. Aut unâ aut omnino non - hodie valet haec lex. Anno 1878 libro Hungarorum fatali inscriptum est nullum conatum Imperio Habsburgensi resistendi feliciter esse evasurum. Si illo tempore animum demissemus, perniciis nobis fuisset inevitabilis Hungarique submersi essent oceano Germanorum. Anno autem 1956 libro fatali inscriptum est terram nostram mansuram esse occupatam et ad normas Unionis Sovieticae redactam, usque dum ultimus Hungarus interiret amore patriae imbutus. Hodie libro fatali inscriptum est potestates anonymas abditissimas omnia eliminare, quae sunt unici generis, sui iuris, aetatis priscae necnon originis nationalis. Illae potestates inter se permiscebunt cultûs civiles e religiones et populos, usque dum Europa nostra multiplex superbaque denique fiat exsanguis servilisque. Istum rerum exitum si passi erimus socordes negligentesque, fatum nobis erit inevitabile et devorabimur ingenti abdomine Civitatum Europae Unitarum. Munus, quod nationi Hungarorum nationibusque Europae mediae aliisque nationibus europaeis, quae nondum omnis sanae mentis humanae sunt expertes, restabit explendum, eo constat, quod

sortem sibi adscriptam superent, transcribant immutentque. Nos autem Hungari Polonice scimus, quomodo hoc fiat. Nos didicimus hominem periculum non superare posse nisi animo forti. Itaque necesse est nos recuperare veterem illam virtutem fortitudinis quadamtenus e cavernis oblivionis² promendam.

Primo omnium oportet, ut animum capiamus et clarè respondeamus voce, quae tanta est, ut audiatur longè latèque, ut respondeamus, inquam, quaestioni primo loco positae, unice quaestioni omnium praestantissimae, qua decertabitur de sorte nostrâ futurâ: quaestio autem, quâ decertabitur, utrum Europa superstes sit futura an collapsura, est haec: *'Utrum nos erimus servi an viri liberi?'* - haec quidem est quaestio, respondete mihi! Porro, Hungari, incipiamus, Hungari!«

ORATIO

QUAM VICTOR ORBÁN

PRAESES HUNGARIAE MINISTERIALIS

D.15 M. MART. A.2016

ANTE MUSEUM HUNGARIAE NATIONALE

HABUIT

EX HUNGARICO SERMONE

IN THEODISCUM *CONVERTIT*

WOLFGANG WOLF,

E THEODISCO IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS.

² in versione theodiscâ: *aus dem Treibsand der Vergessenheit.*

<http://www.handelsblatt.com/politik/international/visegrad-gruppe-oestliche-eu-staaten-sprechen-sich-gegen-vertiefung-der-eu-aus/20898712.html>

d.26. m.Ian. a.2018 - h.18:25

Ecce Grex Visegradianus: Civitates Unionis Europaeae orientales recusant, ne civitates Unioni etiam plus iniungantur

Gubernatores Poloniae, Hungariae, Tsechiae, Slovaciae in urbe *Visegrad* congregati confirmaverunt se recusare integrationem europaeam exaugendam. Necnon eadem civitates Unionis Europaeae participes pergunt profugos impedire a limitibus suis transgrediendis.



Ecce viri Visegradiani Budapesto in urbe congregati

A sinistris dextrorsum: *Matthaeus Morawiecki* Poloniae praeses ministerialis, *Robertus Fico* praeses Slovaciae ministerialis, *Victor Orban* Hungariae gubernationis praepositus, *Andreas Babis* Tsechiae praeses ministerialis commissarius.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50


				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUINQUAGESIMAM PRIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Dominicâ, 28. m.Ian. a.2018

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>